ter hic sibi palpantur qui hisce rationibus se sustentant. Omne opus excellens et quod fol. 40.
sublime futurum est, difficiles aditus habet incrementaq; parua. Tale quidem hoc nos-
trum est: igitur sublime futurum est. Mendose facta est Collectio, quale sit illud. In
sanctis vitium est, in me quoq; num nam ego sanctus? Nempe secunda figura ni-
hil ligat affirmando. Me certe res ipsa paulatim certiorem facit quantas difficul-
tates induxerim cũ ex istis turbis erupi. Sed ego in re parua te magni ducem
sequutus omnibus asperitatibus patientiæ callum oppono modo mihi liceat fide sal-
ua dissidere, triumpho. Magnam expectationem sustinemus rei bene gerendæ homi-
nes non admodum idonei ad agendum, neq; prorsus vno nixu in salo ἄνω κάτω καὶ
πλαγίως tumultuariè fluctuantes. Pater Saluatoris nostri per quem optata
lucis scintillula caligantibus oculis nostris incurrit, dirigat porro pedes nostros in
viam pacis suæ, ne qua fœda claudicatio in perniciem aberret. Amen. Quem-
admodum accipiendũ sit illud meũ (quatenus) propositiones contra vnigenitate
scriptæ satis perspicue monstrant. Vale. Duisburgi. Cal. Octob. 1560.

Johannes Molanus.

[Segebade]

D. Segebado ab Huda
præposito Ansgariano
Bremæ.

Pax Christi

D. Præposite vir nobilis et venerande. Jam fermè annus est quod colligere sar-
cinulas nostras incepimus ex celebri vestra et copiosa vrbe Brema emigraturi. Vale-
imus interea mediocriter omnes non sine singulari benignitate et beneficentia Dei
Patris nostri. Et quamq; res sunt hic pleraq; paulo cariores, curauit tamen Domi-
nus qui pascit nos a iuuentute nostra, ne quid nobis deesset earũ rerũ quæ requirũ-
tur ad vitam sine sordida parsimonia degendam. Dicam quod res est. respecto
ego Bremam interdũ (quam sane nimis inuitus reliqui) sed reprimo desideriũ
meum: partim quia non longum est quod viuimus, partim quem cuiq; locũ assig-
nat summus Imperator, eo contentus esse, et eum nauiter tueri debet. Proinde
(vt est in veteri prouerbio) felix Corinthus: at ego sim Geneates. Si quid
est cuius me pigere debeat, hoc illud est inprimis, quod veterũ amicorũ con-
suetudine exclusus sum, et præsentis pecuniæ magnam iacturam feci, sunt enim
hæc duo non vulgaria vitæ huius incommoda, pecunia et amici, quibus me
commodis intempestiua emigratio pene nudauit. Sed nos non ad præsentem
vitam refero decet omnes rationes nostras. Videndum quid acceptũ sit Domino
cuius voluntas et beneplacitum debet omnibus commoditatibus præponderare.
Quinetiam intelligo hac æstate vsq; adeo istic turbatum esse, vt dubitari pos-
sit, an si mihi libuisset, licuisset etiam in veteri angulo domatis hærere. Itaq;
(quod vulgo dici solet) fugit lupus ante clamorem. Pergit Otho vester in stu-
dium suum incumbere. Nomina rerum acceptarum et pretia singulatim descrip-
ta transmittit, vt possint data acceptaq; inter se conferri. Summa impensarum
in

Nr. 31

[= Ascr. A 11; Nr. 211]

quia.

(ni fallor) 17 Daleri. 4½ gross
In victum anni secundi quem partim Bremae partim Duisburgi degimus
accepi Daleros 24. hoc (si D. placet) eius anni victum iustum precium
esse. In annum tertium (cuius initium fuit 13 Aprilis, 1560.) accepi Da-
leros 12. quibus si nunc adiunxerit D. meus 14. erunt 26. Tantum enim,
spero me in annuum victum non aegre a V. D. impetraturum. Summam impen-
sarum auxit profectio, et novus accessus in urbem ignotam. Posterioribus an-
nis minor erit. Confidimus autem futurum per DEI gratiam, et diligentiam
nostram, ut neque nos pudeat impensarum, neque vos poeniteat. Vale. Deus beni-
gnitatem tuam in studiosos adolescentes quotidie augeat diuque incolumem servet.
Amen. Duisburgi 2 Octob. 1560. Castissimae sorori V. Marga-
retae precor multum gaudii et verae consolationis a D. N. Jesu Christo.

D. V. addictus

Johannes Molanus.

Pax Christi. D. Huberto a Lengen.
[V. Lengen]

Nr. 72)

[= Mscr. a. 11: Nr. 212]

Venerande frater. ego nuper nimis ineptis versiculis ad epistolam impudenter assutis
vereor ut visus sim tua facilitate abusus esse. Sane nescio qua levitate aut po-
tius alacritate animi in eam audaciam subsilii cuius me nunc nonnihil pudet pi-
getque maxime quum ex D. Doctoris epistola intelligam ut intempestiviter mihi
subierit cantillare quo tempore vobis fuit acerrime laborandum, non sit usque ani-
mo meo bene si non permaneo quamquam absens in societate laboris vestri. Sed in-
genium immutari non potest. saepe periculum factum est. volui esse gravior et
cordatior. mox impegi in veterius vitium atrae bilis, ac ne sic quidem suspicio-
nem effugi levitatis. Nescio qua nativa lues dulcedine cunctos ducit et im-
memores non sinit esse sui. Et caeteris quidem meae stultitiae partibus aliquid
fortasse deradet maturior aetas. at in iis quibus de rebus tunc luseram, retinebit
hic Aethiops nigredinem suam. Proinde Quantumcunque graves cruciant mea (margin: cruciient)
pectora curae, Quamvis observent oculi me mille Catonum. Semper et eventus
nostros et mixta procellis Ludicra nos nocuosque iocos meminisse iuvabit.
Sit mihi conducto plorandum in funere tecum Vicinos urbis colles peragrare vide-
bor. Vel mors intentet deforme propinqua flagellum. Concutiet pavidum ipsum
Gandrizius Orpheus. Usque adeo insedit venis semperque sedebit. Grata (licet
multo perfusa dolore) voluptas. Quae nisi lactasset profugum animumque levasset.
Idem quo dulcis miserandaque putruit uxor Dirus hydrops uno damnasset
utrumque sepulchro. Sed quid ago. de versiculis memet purgaturus, in eos-
dem protervius incurro, iam ut culpam nullo praetexere nomine possim.
Venio ad seria. Res hic nostrae perque aegre promovent, magis (si dicendum est)
im-